IN SACRA POMPEIORVM

AVCTARIVM CVM ANIMADVERSIONIBVS

COMMENTARIVM VII.

RAYMVNDI GVARINI.

N E A P O L I

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATICAE.

1825.

IN SACRA POMPEIORVM AVCTARIVM CVM ANIMADVERSIONIBVS COMMENTARIUM VII

Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem.

PRAELUDIUM

Quod anno proxime elapso in *Commentariolo* nostro *in Sacra Pompeiorum nonnulla* Ministros Augusti denuntiavimus alios exstitisse a *Ministris Fortunae Augustae*, hosque illis tempore praeivisse tantisper; quod Pompeis olim stetisse pronuntiavimus Templum *Fortunae Augustae*, cui peculiares addicti *Ministri* erant, qui *Fortunae Augustae* audiebant: haec demum universa nuperae Pompeiorum effossiones ita confirmarunt, non sine Fastorum Consularium insigni emolumento, ut nullus iam de his dubitandi locus supersit. Et ne in re tanta Lectoris cupiditatem sine caussa moremur, marmora ipsa recens eruta Pompeis in medium afferemus, quae de singulis, testimonium dicant luculentisimum, Legis Cinciae, iam ab initio nobis in dicendo impositae, iure servato.

§. I.

De Aedis Fortunae Augustae *Pompeis conditae auctore , et anno.* 4

In caussa hac dicenda primus sine controversia , invidiaque , locus dandus marmori Pompeiano , quod tale est :

I

M. TVLLIVS. M. F. D. I. D. TER. QVINQ. AVGVR. TRIB. MIL
A. POP. AEDEM. FORTVNAE. AVGVSTAE. SOLO. ET. PEQ. SVA

Lapis extabat ad vestibulum ipsum Aedis Fortunae Augustae , quae deinceps postrema vox sub tribus unis literis AVG. in caeteris Pompeiorum titulis conspicuam se dabit. Templi molem si spectes, ea satis modica ; si formam , haud modicae elegantiae , quantum ex vestigiis adhuc superstitibus colligere datum. Viae publicae imminet , eminetque ; ad eamque per gradus plures ascensus est ad partem vestibuli utramque , quos ferreis quondam clatris fuisse septos , evidens est.

Notum eruditis, Tullios Cicerones, Pompeianis, multis de caussis, coniunctisssimos, et praedia habuisse Pompeis, et a Municipalibus praeterea honoribus minime abhorruisse. Quintum etiam Tullium, Q. Filium, duplici in titulo Pompeiano (1) offendimus, qui IIVir I. D. Pompeis processit. Verum, quo minus haec de Tulliis Ciceronibus accipiamus, obstat potissimum *Ciceronum* cognominis omissio. Illud tamen concedendum ab omnibus, Marcum hunc Tullium, M. Filium, eumdemque *Aedis Fortunae Augustae* conditorem, e Pompeianorum primoribus fuisse, qui IIvirali dignitate tertium, Auguratu, Quinquennalitate, et Tribunatu militum a Populo, tam pulchre se commendat; quamquam haec parum ad nos, pro re proposita. Illud attinet propius, ecquo urbis conditae anno excitari Pompeis Aedem hanc contigerit. In quo investigando illud viri docti nobis assentiantur, oportet, Pompeiorum titulos universos, in quibus *Fortunae Augustae*, *Ministrorumve Augusti* iniecta mentio est, σύγχρονους ad summum anno V. C. 727, eidemque ante Aeram Dionysianam septimo supra vigesi-

(1) *In Sacr. Pompei. nonnull. p. 16.*

mum, esse posse, praeire nullo pacto posse. Hoc siquidem anno, non ante, post debellatum Antonium, auctore Munatio Planco, Octavius, de Senatus sententia, AVGVSTI nomine auctus est. Quamobrem Cluvii Consulatum cum P. Clodio, quem ad annum 725, Jansonium imprudentes sequuti, retulimus loco supra citato, de loco non suo nunc deturbamus, opportunioremque sibi quaerere sancimus, quod in eo *Ministri Fortunae Augustae* occurrunt. Ecce iterum tibi illud:

2.

MARTIALIS. C. OLLI. PRIMI
MAN. SALARIVS. CROCVS
PRIMIGENIVS. C. OLLI. PRIMI
MIN. FORTVNAE. AVG
IVSSV
Q. POSTVMI. MODESTI. C. VIBI. SECUNDI
D. V. I. D
C.MEMMI.IVNIANI.Q.BRVTTI.BALBI.AEDI.L.
*m. cl*VVIO. P. CLODIO. COS

De Antonio, cum adhuc in Armenia esset, haec habet Dio Cassius (1); *Consulatum simul*

(1) Lib. XLIX. Cap. 4.

et dedit Cluvio, quem secum habebat, et ademit. Quo fortasse Dionis testimonio inducti Lydiatus, et Patina, quos allegat Jansonius, C. Cluvium cum C. Furnio inter *Consules suffectos* ex Kalendis Novembris anni 725 recenset. Sed Cluvio Consulatus reservatus ab Antonio fuerat ad annum 721, quod praestare deinde non potuit, non ad annum 725. Ad haec: tametsi Cluvio Consulatus contigisset anno 725, seiungendus tamen ab eo Cluvius foret, de quo nihil Dio, loco paullo ante memorato. Sed verius cum eruditissimo, nostrique amantissimo Collega, Burghesio, statuendum, C. hunc Cluvium, etsi Consulem olim *designatum*, Consulatum tamen numquam attigisse reapse, de eo namque sic Dio idem alio loco (1): *Augustus Censor cum Collega Agrippa . . . in numerum Consularium duos ex Patribus retulit C. Cluvium, et C. Furnium, quod Consules designati eum Magistratum ab aliis praeventi gerere non potuissent.* Fac enim, Cluvium ante id temporis revera Consulem creatum: iam igitur *iure Consularis* erat. Quid igitur opus Augusto, ut ad annum 725 illum

(1) Lib. 41. cap. 42.

inter *Consulares* referret ? Sic fere , et quidem Apolline dextro , Burghesius noster argumentatur.

Caeterum fuerit Consul , necne , Cajus iste Cluvius , si nomen excipias , nihil omnino illi commune cum Cluvio marmoris Pompeiani , in quo obviam se dant *Ministri Fortunae Augustae* , quorum institutio prima ad an. V. C. 756 referenda est , ut paullo infra videbimus. Rectius igitur Cluvium hunc Pompeiani lapidis, non *Caium* illum accipiemus , de quo hactenus , sed *Marcum* potius , cognomento *Rufum*, qui ad annum 798. V. C. adeoque Aerae Christianae 45 , Vinicio Quartino II , suffectus est Kalendis Julii. Delendus tamen Pompeius Silvanus male illi adsutus in Fastis Jansonianis , restituendusque ei Collega P. hic Clodius marmoris Pompeiani. Et de P. quodam Clodio haec Tacitus (1) sub illorum persona , qui pro Oratorum stipendio contra Legem Cinciam tempestate Claudiana depugnabant : *prompta sibi exempla , quantis mercedibus P. Clodius , aut C. Curio concionari soliti sint.* Verum enimvero quaestuosi hi Oratores iidem illi sunt,

(b) Lib. IX. Cap. 7.

in quos extat Tullianae Orationis argumentum cum Asconii Pediani Commentario nuper a Cl. Maio ex Ambrosianis Palimpsestis elicitum. Non tamen absurdum fuerit cogitare de P. quopiam Clodio, huius Filio: nam plures P. hüic Clodio extitisse filios, constat a Sexti Clodii praenomine, P. Clodii sine dubitatione filii, pro quo ab exilio revocando epistolam sane πολιτικοτεραν M. Antonii ad Ciceronem habemus (1). Coniecturae certe huic temporum rationes minimum incommodare videntur.

Age nunc tandem annum definiamus Aedis conditae *Fortunae Augustae* Pompeiorum, eiusque veluti aditum reseremus, quod beneficio Marmoris insequentis adsecuturos, facile confidimus.

3.

AGATHEMERVS. VETTI
SVAVIS. CAESIAE. PRIMAE
POTHVS. NVMITORI
ANTEROS. LACVTVLAN
MINIST. PRIMI. FORTVN. AVG. IVSS.
M.STAI.RVFI.CN. MELISSAEI.APRI.D.V.I.D
P. SILIO. L. VOLVSIO. SATVRN. COS

(1) Epistol. Lib. XIV. 14.

Marmoris longitudo = palmo 1 $\frac{1}{3}$: latitudo = palmo 1 $\frac{1}{6}$. *Fortunam Augustam* sine compendio expressam vidimus in titulo, priore loco recitato: hic ex adverso per compendium; idque indicio nobis est, quod alibi quoque adnotatum, lapidem hunc priori illi supparem aliquanto tempore extare. Ministri numero quatuor, iique *Servi* omnes, sed *Primi* idcirco nuncupati, quod ab Aede posita primi omnium processerint. Nam si ad dignitatis ordinem *τό Primi* esset referendum, iam alicunde emersissent *Ministri secundi*, quod factum nusquam incurrimus. Quod ex eo quoque confirmationem recipit, quod iidem posthac *ἁπλῶς Ministri Fortunae Augustae*, sine *του Primi* additamento, perpetuo consalutabuntur. Titulum praeterea ea de caussa *priori illi supparem aliquanto* extare diximus, quod credibile non sit, Templum diu suis caruisse ministris. Gens *Lacutulania*, ignota hactenus, nunc primum de tenebris in lucem prodit. Verum haec leviora. Graviora sine dubio, quae sequuntur, nodosque praebent vindice dignos.

P. Silio, *L. Volusio Saturnino Cos*. Nihil Publio huic Silio cum Silio illo Nerva, quem Consulem Fastograpraphi referunt cum M. Ap-

puleio ad an. V. C. 734. Nihil iterum commune L. Volusio Saturnino cum Cn. Sentio Saturnino, anni proxime insequentis Consule; cui Fastorum Curatores Collegam addunt Q. Lucretium Vespillonem. Biga haec Consularis Lapidis Pompeiani ad an. 756, eumdemque undecimum ante obitum Augusti prorsus reiicienda, eaque ipsissima est, quae in Gabiorum prostat Fragmento a Marinio (1), viro summo, allato, quamque revocasse nobis in mentem Burghesium nostrum, ingenue libentissimeque profitemur. Praestat Gabinum ipsum Fragmentum in medium afferre, quod non iniucundum Lectoribus futurum confidimus.

(1) Fratel. Arv. pag. 24.

. . . . L. ALFENIVS
. . . . . IVL. P. LENTVLVS. P.. QVI
. . . . DECESSIT. XIII. KAL. OCT
M. SERVILIVS. L. LAMIA
. . . SVF. K. IVL. P. SILIVS. L. VOLV..
SEX. AELIVS. C. SENTIVS
SVF. K. IVL. C. CLODIVS. CN. ST..
C. CAESAR. DECESSIT. VIIII. K. M
CN. CINNA
SUF. K. IVL
M. LEPIDVS
. . . .

Suffectis itaque Consulibus ex Kal. Julii anni 756 adcensendos P. Silium, et L. Volusium, discimus a Gabino Fragmento: sed *Saturnini* cognomen inditum L. Volusio, marmori Pompeiano unice debemus.

Alterius sic
Altera poscit opem res, et coniurat amice.

Rursus, quod a recitato Fragmento docemur, P. Silium cum Volusio fuisse *suffectum* ex Kal. Julii anni 756; non ante id temporis monemur, fuisse Pompeis *Ministros Fortunae Augustae* institutos.

§. II.

De Ministrorum Fortunae Augustae dignitate.

Ministrorum conditionem, Fabrettio, Hagenbuchio, Marinio contra obnitentibus, solide evicimus, mancipiorum familiis haud ita perpetuo fuisse illigatam, ut ad *Libertinos* homines, interdum *Ingenuos* etiam, nusquam adsurrexerit. Pauca nunc in eamdem rem ampliandam coniicere, est animus, quando ad id non hortatur tantum, sed compellere videtur, marmor aliud Pompeianum, aliis quoque nominibus commendandum. Illud vero est huiusmodi :

4.

TAVRO. STATILIO
TI. PLATILIO. AELIANO. COS
L. STATIVS. FAVSTVS. PRO
SIGNO. QVOD. E. LEGE. FORTVNAE
AVGVSTAE. MINISTRORVM. PONERE
DEBEBAT. REFERENTE. Q. POMPEIO. AMETHYSIO
QVAESTORE. BASIS. DVAS. MARMORIAS. DECREVERVNT
PRO SIGNO PONIRET

Crassities = unciis duabus ; longitud. = unciis sexdecim ; latitud. = unciis viginti tribus. *Basis* dictum loco τησ *Baseis*, vel *Bases*, more archaico, ut *marmorias*, et *poniret*, pro *marmoreas*, et *poneret*. L. ergo Statius Faustus SIGNVM voverat, quod *e Lege Ministrorum Fortunae Augustae* ad Aedem *Fortunae* ipsius *ponere* debebat. *Votum* interea ejusmodi, referente Q. Pompeio Amethysio Quaestore, *commutatum* vides, ut Theologorum formulis utamur, in *Bases duas marmoreas*, iure, ut videtur, Ministrorum Fortunae Augustae. Non itaque vilis adeo, spernendaque, quod nonnullis animo insedit, ministrorum conditio, quos pro ministerio suo, et ferendi *Leges*, et *vota* commutandi potestate pollentes videmus. Et hactenus quidem unis Pompeiorum auxiliis bellum hoc omne profligatum videri poterat. Nunc aliunde etiam arma ad id suppetunt opportuna. Sponius (1) Lapidem producit Romae effossum *in monte Aventino*, *qua parte eam Regionem Vrbis respicit*, *quae Piscina publica dicebatur*, *circa Domos Parthorum*, in quo de Homine *ingenuo* ministrorum gregi inserto sermo est. Ecce illum tibi :

---

(1) Pag. 23. et 24.

M. AVRELIO. COMMODO. ET. QVINTILIO. COS
XVI. KAL. FEBR. FONTINALIA. FFCERVNT
A. SEPTIMVS. VALIDVS. AVGVR. ET. FLAM. DIAL
T. FERVIVS. T. F. SILVANVS. MINISTER. FONT. LOLIANI
Q. PROCILIVS. SEX. F. SEVERIANVS. MAGISTER

Τί ετι χρειαν εχομεν μαρτυρων; nam ecce tibi T. Fervius, T. F. Silvanus, homo trinomius, idemque *ingenuus*, et *Fontis Loliani Minister*.

Quid ad haec vir praestantissimus Marinius, qui titulum e Sponio allegat, et ingenuum hominem T. Fervium fatetur ingenue? nimirum ad Ligorianas tabernas parum comiter ablegat. Adeo in summis quoque viris praeconceptae olim animo opiniones possunt! Sed quo tandem Lapidis vitio? triplici nempe, ille ait, accusatione per digitos, Hortensiano more, ducta. Age, audiamus. Non enim fas, in re capitali, una accusatoris fide, verboque reum succumbere. 1. Quod Fontinalia ad diem XIII Octobris agi consuevisse, ex Kalendariis addiscimus, non ad XVI. Kalendas Februarii, ut in commento Sponiano. 2. quod nil *Fontinalibus* cum *Flamine Diali* commune intercedit. 3. quod *Magistrum* cieri oportuerat ante *Ministrum*, quod secus in marmore factum. Ita Marinius.

Sed marmori Sponiano fidem constare, necesse fuerit a Pompeianis nostris, quae nullo liceat ariete, loco movere, nedum infringere: nec prodigii instar erunt ministri *ingenuae*, non *libertinae* dumtaxat conditionis, ut nihil de *Arvalibus pueris* dicamus, quos ad ministrorum gregem pertinuisse, novimus, et de nobilissimis Familiis selectos, certo certius constat. *Fontinalia* concedimus ad diem XIII Octobris agi consuevisse, sed *Publica* tamen, et *Stata*, seu *Annua*. At *Fontinalia* nostra *Fontis Loliani* ad *sacra privata* respicere videntur. Quamquam, si *publica* quoque esse velimus, cur non *Statis sacris*, sed *Extraordinariis*, accensebimus? Nec nostra interest investigare, quid *Fontinali sacro privato* cum *Flamine Diali* commune intercesserit. An incredibile porro, aut nefas, Flaminem Dialem, importuna aquarum penuria iuxta cum privatis adfectum eadem cum his *Fontinalia privata* curasse? Neque scire refert magis, eccur medius *Dialem* inter, *Magistrumque* sedeat *Minister*. Factum id fortasse pro rata symbolae, quam in *Sacro privato* uberiorem *Minister*, prae *Magistro*, attulit. Fortasse loco priore adsignato *Flamini Diali*, honestius habitum, *Magistro*

postremum relinquere, quod in quibusdam a moribus nostris non valde abhorret. Neque id habendum pro nihilo. Nam et in Pompeiorum Sacris haud semel observatum, ministris *Ingenuis*, aut *Libertinis* alterum a *Servis* locum attribui. Quod etsi in potiorem ministerii dignitatem ipsi coniecerimus, qua *Servi*, prae *Ingenuis*, praefulgebant: abs re tamen non fuerit, id et ex eo repetere, quod locus posterior in nominum recensione honestior aliquando habebatur. Ne plura. Mariniani scrupuli inde profecti, quod imbibitum ante fuerat, nusquam datum *ministris* conditionem servilem transcendere; quod praeiudicium si exuere per occasionem licuisset, abstinuisset vir summns cavillandi ansam, ut nodum in scirpo, quaerere in titulo Sponiano. Et hactenus quidem Pompeiani marmoris veluti caudam depilavimus: nunc caput ipsum deglubendum, an infringendum magis? nam ecquid illud: *Tauro Statilio, Ti. Platilio Aeliano, Consulibus?*

Apage hinc in primis, qui Pompeianis Iluiris suspicantur ambitiosa Consulum romanorum nomina usurpata! Vix id pauculis urbeculis ausum; Pompeis numquam. Neque haec nominum prodigia patiuntur tempora, quibus de loqui-

mur. Statiliorum praeterea Taurorum multi Romae nobiles Consulatus, de quibus Fastographi consulendi.

§. III.

De Ti. Platilii Aeliani Consulatu.

De Tauro Statilio, qui Platilio Aeliano Collegae in marmore Pompeiano praefulget, prius videndum, cum multi nominis hujus in Fastis occurrant. Obviat in primis ad an. 717. T. Statilius e *Suffectorum* censu. Deinde. T. Statilius Taurus an. 728. Augusto ipsi Collega additus. T. alius Statilius Taurus in medium se profert, Consul Ordinarius anni 764; qui fortasse idem cum Statilio Tauro Sisenna, qui quinquennio post, ad an. nempe 769, Consul item, iterumque processit. Alius occurrit T. Statilius Taurus, Consul ordinarius anni 797., aliusque demum anni 798, cui *Corvini* additur cognomen. Nec ad Consulis prioris Pompeiani monumenti nomen quod attinet, aliud praeterea adnotandum e Fastis se dat. Et cum ministros Fortunae Augustae non ante annum 756 creari Pompeis, contigerit, in aperto est, Statilios omnes, qui aetati huic anteiverint, arcendos a

Lapide nostro Pompeiano esse, in quo *ministrorum Fortunae Augustae* tam luculenta recurrit recordatio. Res igitur redit ad Statilios Cousules temporum insecutorum, annorum puta V. C. 764. 769. 797. 798. Id vero constare nullo pacto poterit, nisi ante de Ti. Platilii Aeliani Consulatu constiterit.

Platilii nomen hactenus inauditum. Putat idcirco Burghesius, *Platilium* in *Plautium* esse recudendum, cui cum *Aeliani* cognomine *Tiberii* quoque *praenomen* adhaesit. Ti. namque Plautius Aelianus, Claudii Legatus, ipsum Romae triumphantem sequutus est, in cuius rei meritum facile illi Consulatus obtigit. Sed de Plautii Aeliani Consulatu, eodemque iterato, nihil est dubitandum, quandoquidem utriusque notitia adparet ex dissertissimo marmore Gruteriano, quod tale est (a):

(a) Pag. 454.

TI. PLAVTIO. M. F. A. *nepoti*
SILVANO. AELIAN*o*.
PONTIF. SODAL. AVG.
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS
LEGAT. LEG. V. IN. GERMANIA
PR. VRB. LEGAT. ET. COMITI. CLAVDII
CAESARIS. IN. BRITANNIA. CONSVLI
PROCOS. ASIAE. LEGAT. PROPRAET. MOESIAE
IN. QVA. PLVRA. QVAM. CENTVM. MILL.
EX. NVMERO. TRANSDANVVIANOR.
AD. PRAESTANDA. TRIBVTA. CVM. CONIVGIB
AC. LIBERIS. ET. PRINCIPIB. AVT. REGIBVS. SVIS
TRANSDVXIT. MOTVM. ORIENTEM. SARMATAR
COMPRESSIT. QVAMVIS. PARTE. MAGNA. EXERCITVS
AD. EXPEDITIONEM. IN. ARMENIAM. MISISSET
IGNOTOS. ANTE. AVT. INFENSOS. P'. R. REGES. SIGNA
ROMANA. ADORATVROS. IN. RIPAM. QVAM. TVEBATVR
PERDVXIT. , REGIBVS. BASTARNARVM. ET
RHOXOLANORVM. FILIOS. DACORVM. FRATRVM

CAPTOS. AVT. HOSTIBVS. EREPTOS. REMISIT. AB
ALIQVIS. EORVM. OPSIDES. ACCEPIT. PER. QVEM. PACEM
PROVINCIAE. ET. CONFIRMAVIT. ET. PROTVLIT
SCYTHARVM. QVOQVE. REGE. ACHERONENSI
QVAE. EST. VLTRA. BORVSTHENEM. OPSIDIONE. SVMMOTO
PRIMVS. EX. EA. PROVINCIA. MAGNO. TRITICI. MODO
ANNONAM. P. R. ADLEVAVIT. HVNC. LEGATVM
IN. HISPANIAM, AD. PRAEFECTVR. VRBIS. REMISSVM
SENATVS. IN. PRAEFECTVR. TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AVCTORE. IMP
CAESARE. AVGVSTO. VESPASIANO. VERBIS. EX
ORATIONE. EIVS. Q. I. S. S.
MOESIAE. ITA. PRAEFVIT. VT. NON. DEBVERIT. IN
ME. DIFFERRI. HONOR. TRIVMPHALIVM. EIVS
ORNAMENTORVM. NISI. QVOD. LATIOR. EI
CONTIGIT. MORA. TITVLVS. PRAEFECTO. VRBIS
HVNC IN EADEM. PRAEFECTVRA. VRBIS. IMP. CAESAR
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT

Ellogium sane longiusculum, sed splendidissimum, in quo praeter apicum signa syllabis fere longis adposita, et vocem *differri* pro *transferri*, notandum το ἀρχάϊκον *aliquis* pro *aliqueis*, sive *aliquibus*. Nunc ad rem quod attinet, Plautius Aelianus, qui et Silvanus, pro prima vice, Consul prodiit sub Claudio Imperatore, cui Legatus, Comesque in Britannia fuerat. Altero vero eum Consulatu decoravit ob res insigniter gestas Vespanius Imperator, quo tempore Plautius ipse Praefectum Urbis agebat. Praeclare haec quidem omnia, et ad fidem historicam apprime consentanea, si de Ti. Plautio Aeliano certa res esset. Verum enimvero in Pompeiano titulo *Platilius* cietur, non *Plautius*: nec de marmoris fide dubitandum, quod iterato exscribendum, sedulo curavimus. *Platilium* autem pro *Plautio*, scalptoris incogitantia positum in marmore publico, eodemque sacro, parum credibile videtur. Quadratariorum, si quid peccassent, quae fuerit in corrigendo sedulitas, pluribus prosequitur Cl. Marinius. Superne interdum, interdum inferne, non raro ad marginem, in fine saepiuscule, quandoque in medio ipso titulo, versuum ordine interturbato, notabant, si quid excidisset, quorum

nil tale videre est in Lapide nostro. Sed dormitarit etiam scalptor in utramque aurem. An tulissent tituli Curatores in Consulis praesertim suffecti nomine ciendo, cuius praecipue auribus dandum aliquid in rebus eiusmodi curabatur? *Platilium* ergo retinendum arbitramur, nec de nomine novo, aut re nova nomini subiecta, timendum. De *Plautio* etenim facile *Plautilius* primum, deinde *Platilius* prodire in vulgus potuit. Et sane prodigii instar videri queat, Platilium hunc alium a Plautio extitisse, in quorum utrumque idem *Tiberii* praenomen cum *Aeliani* cognomine quadrarit.

Atqui haec si ita sint, de Aeliani Consulatu pro Lapide Pompeiano pronum erit decernere. Cum enim in eo non *iterum* Consul dicatur, de primo, non altero eiusdem Consulatu, intelligendus: cumque ei Collega praefulgeat Statilius Taurus, qui Consul processit ad annum 797; ad annum hunc referendus *Plautii*, seu *Platilii*, Consulatus. Nam si de Statilio Tauro, Consule anni insequentis, idest 798, ageretur, huic *Corvini* cognomen appingi oportuerat, quod in lapide Pompeiano omissum. Quod igitur Jansonius Ti. hunc Plautium Aelianum inter *Suffectos* adnumerat ex Kal. Mart. anni 800,

haud belle processisse videtur, et Aeliani prior Consulatus retro-trahendus omnino ad annum supra memoratum 797.

§. IV.

De iterato M. Stai Rufi cum Cn. Melissaeo Apro Pompeis IIviratu, deque Sacrorum novatione.

M. Staium Rufum, et Cn. Melissaeum Aprum, IIviros iuri dicundo pro vice prima processisse Pompeis, constat ex dictis §. I. n. 3, ad annum videlicet V. C. 756, quo tempore primitus instituti *Ministri Fortunae Augustae*. Nunc biga eadem IIviralis in Pompeianis recurrit saepiuscule cum adiecta particula *iterum*. Annus itaque investigandus *iterationis* IIviratus nostrorum.

Ad Labrum marmoreum, sane elegantissimum, Fontis Pompeiani paucis abhinc mensibus detecti, cuius diameter per palmos novem excurrit, cum tubo ad centrum aeneo, literis item aeneis, titulus insculptus legitur, qui est huiusmodi :

I.

CN. MELISSAEO. CN. F. APRO. M
STAIO. M. F. RVFO. D. V. I. D. ITER
ID. LABRVM. EX. D. D. EX. P. P. F. C
CONSTAT. HS. DCCL

Sed quo tempore inciderit alter hic nostrorum IIviratus, de quo quaeritur, hic neque vola, neque vestigium. Tantum ἐν πάροδῳ, heic monere, satis, Melissaei cum Staio Duumviratum sic absolute positum unam notae municipalis chronologicae vim obtinere. Ecquid enim aliud sibi volunt haec; *Cn. Melissaeo. Cn. F. Apro. M. Staio. M. F. Rufo. IIvir. iter. id. Labrum. ex. decr. Decur. ex. pecun. publica. fieri. curatum?* Ita quippe legendus Lapis male ab iis exceptus, qui primi exscripserunt. Quae idcirco dicta volumus, ut praeiudicium tandem illud convellatur; quod in rem epigraphicam, magni nominis vir, Maffeius, olim invexit, cui notae municipales chronologicae sacrilegii fere loco sunt, laesaeque romanae maiestatis exemplum minime imitabile. Alite sine dubio meliori prodit in rem nostram Epigramma aliud, item Pompeianum, quod etsi allatum in Commentariolo nostro, de novo tamen Lectoris oculis subiicere, operae omnino pretium est.

2.

Sex. *Ae*LIO
C. SENTIO Cos
M. STAI. RVFI
CN. MELISSAEI. APRI
D. V. I. D. ITER
NOVATVM

Cum igitur Sex. Aelii cum C. Sentio Consulatus incidat in an. V. C. 757; palam est, hoc anno IIviros iterum processisse nostros, adeoque ἀμέσως a priore IIviratu, qui illis ad an. 756. contigit. Pompeiani propterea tituli, iterati huius IIviratus nota insigniti, σύγχρονοι omnes habendi. Quod vero IIvirum nostrorum alter alteri per vices praeeat, ut passim in Pompeianis, id non unius τῆς οἰκονομίας ἕνεκα factum dicimus, quod olim innuimus, sed ea etiam de caussa, quod cum alternis reip. praeessent, prior illi locus dandus, qui actu in magistratu erat. Nec abs re epigraphica alienum fuerit observare, notam numeralem *iterum*, quae alias unum illum afficit, cui proxime inhaeret, ad utrumque IIvirum nostrum sine cunctatione esse referendam. De voce nunc NOVATVM paullo operosius inquirendum, quam et in marmore alio Pompeiano offendimus, quod est huiusmodi :

3.

P. STATILIVS. AGAHO (T)
MINISTER. D. D
IMP. CAESARE. IV
M. SILANO COS
*no*VATVM. P. ALFENO
P. VINICIO. COS
IVSSV
M. POMPONI. MARCELLI
L. VALERI. FLACCI. D. V. I. D
. LVCRETI . . . L. ORFI. L. F
D. V. V. A. S. P. P

Ecquid igitur subaudiendum τῷ NOVATVM? *Sacrum* nempe, ut persuasum nobis est. Nam si de *templo* ageretur, *fano*, *aedificiove* quovis, *signo*, aliisque eiusmodi; haud facile haec tacita in titulo forent, quod ignorare viri antiquitatis callentes non possunt. Ad haec: de unis *Sacris* sunt, qui sunt in manibus, Pompeiani Lapides. *Sacrum* ergo, quod in titulo priore *novatum* dicitur *M. Staii*, *et M. Rufi* D. V. I. D; hic *novatum* edicitur *M. Pomponii Marcelli*, *et L. Valeri Flacci iussu*. Quod, nisi fallimur, tale est: *Sacrum novant* Melissaeus, et Staius, sed nomine proprio, privatoque: *novant* Pomponius, et Valerius, sed nomine

publico, cuius personam gerunt, adeoque *iubendi* ius obtinent. Verum ecquid propric prae se ferat formula haec NOVARE SACRA, id non satis hactenus liquet; et quae de illius potestate ad id temporis legere sortito obtigit, ea salivam cient, stomacho non faciunt satis.

Novare, seu *renovare Sacra*, quibusdam videtur, idem esse, ac *commovere*, sive etiam *instituere Sacra*; a quorum sententia longe abeundum putamus. *Novare* namque, seu *renovare*, iterationem importat rei semel *institutae*. Semel quippe *instituimus*; rem institutam, pro arbitrio, aut necessitate, quoties, quandove opportunum, *novamus*, ac *renovamus*. Gutherio (a) *novare sacra* idem fit, ac *commovere sacra*: et, quod festivius est, *commotionem sacrorum* cum ipsa eorum *institutione* confundere videtur. Sic enim loco citato: *commovere sacra est institutio quaedam, qua certis et sollemnibus precationibus Dii consulebantur, aut placabantur*. Quid hoc est aliud, quam mare, ut aiunt, caelo miscere?

(a) *De veter. Iur. Pontif. pag.* 367:

1. *Institutionem* ergo *sacrorum* eam animo teneamus, qua *precationes certae, sollemnesque, tempore, aut libitu, repetendae primitus statuuntur ad Deos consulendos, placandosve, aut utrumque simul.* Cum redeunt precationes huiusmodi certis ritibus, sollemnibusque absolvendae, tunc vere, proprieque *novari*, aut *renovari sacra* intelliguntur.

2. At quid, inquies, *commovere sacra?* nempe ad utrumque id pertinet, *institutionem* puta, *novationemque sacrorum*, uti pars ad totum integrandum. Caeteras namque inter caeraemonias ad Deos conciliandum praefinitas, *sacrorum* quoque *commotioni* locus erat; quae iterum alia habenda a *sacrorum gestatione*; quod posterius in Iunonis praecipue, Cererisque festis sollemnissimum. *Geri* autem, *ferrive sacra* dicebantur, cum Deorum, Dearumve simulacra, mensulae, aut aliud quidpiam efferebantur, ut in nostris, quas vulgo nominamus, *Processionibus*. Quid proprie fuerit *commotio sacrorum*, propius nunc attingendum.

3. Turnebus, Servium secutus, *commotionem sacrorum* ponit *in sacrorum delatione quadam de loco in locum.* Parum haec *sacrorum commotionis* descriptio adridet Gutherio,

qui *delationem de loco in locum* penitus missam facit, et *commotionem* cum *institutione* ipsa *sacrorum*, ut supra est observatum, confundit. Sed pro *delatione hac de loco in locum* stat in primis vox ipsa *commotionis*. Servii deinde auctoritatem, qua se Turnebus tuetur, Gutherii voluntati facile anteferendam decernent viri docti. Ad haec: intelligi sine *motione* aliqua nequit Virgilianum illud:

. . . . *Qualis, commotis, excita sacris*
Thyas.

non Horatianum illud:

. . *Non ego te, candide Bassareu,*
Invitum quatiam.

Sed ne ipsi nos frusta diutius in recula huiusmodi iactemus, rem totam expedit Ammianus Marcellinus (a). *Construximus*, inquit, *ad Cortinae similitudinem Delphicae*, MENSVLAM, *ac consecratam* MOVIMVS *tandem*. Et ne de voce *movimus* dubium foret, quin ad *sacrum* aliquod esset referenda, subdit e vestigio: MOVENDI *autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio ta-*

(a) Lib. XXIX.

lis : *collocabatur* (mensula, de qua superius) *in medio Domus emaculatae odoribus.* Hactenus ille. Quibus verbis aperte docemur, *sacra* tum demum dicta *commoveri* , cum de loco, quo Domi ante asservabantur, in loco alio Domus eiusdem collocabantur, non sine suffimentorum suave olentium iucundo munere, ubi conspicua magis colentium oculis paterent. Atque ad hanc *sacrorum commotionem* referendam arbitramur *Ancilium*, *Hastaeque Martialis* quassationem illam, quae per eum fiebat, cui Exercitus cura in *Sacrario Martis* committebatur in ea verba : MARS. VIGILA. Unum heic adnotandum, ne *gestationem* cum *commotione sacrorum* confundi per imprudentiam contingat. In *gestatione* delatio sacrorum per vias publicas fiebat : in *commotione* intra templi unius ambitum continebatur.

4. *Sacrorum* denique *commotio novationi* praeludebat, mediaque ipsa nocte celebrabatur, quae *novandis sacris* iam institutis ἀμέσως praeibat : quo tempore ut ex Appuleio discimus, Templi Fores reserabantur (a).

(a) *Metamorph.* Lib. II.

Et illud fortasse quaeret quis; cum *sacra* in duplici genere sint constituta, *stata* videlicet, et *extra ordinem*, ad quorum alterutrum *sacrum* hocce Pompeianorum *novatum* referri oporteat? Utique ad posterius, respondebimus. Quippe de *sacro novato* agitur post annos solidos sex supra viginti, quod in *stata*, aut *annua* cadere non potest.

§. V.

De Gente Staia, itemque Melissaea Pompeiorum, et quibusdam aliis extra ordinem, non praeter rem, adnotandis.

De *Staia*, Pompeiorum gente, haec notatu digna. *Stai*, cognomine *Rufi*, triplici se titulo Pompeiano commendant, quos, ut occasio se se dedit, retulimus omnes loco quemque suo. Nec dubium, quin Pompeianis primoribus sint accensendi. *Melissaeae* gentis frequentior recordatio, et quidem sub duplici cognomento, *Faustae* nimirum, et *Aprae*. De *Fausta* in primis insignis cippus marmoreus, plane elegantissimus, quem fere non dubitamus, loco basis fuisse Pompeis Tiberii Statuae cuidam. In

eo pro vice prima datum nobis siglas illas Pompeiorum singulares D. V. V. A. S. P. P. deprehendere, quae tantas in nos excitavere procellas, quibus, sine numinis auxilio praesentissimo, obruti omnino fuissemus. Etsi alibi recitatum, iuvat tamen heic in medium proferre, et pro viribus aliquatenus adornare.

I.

PHILIPPVS. MELISSAEI
FAVSTI
IANVARIVS. PIRICATI
QVARTIONIS
IVCVNDVS. HOLCONI
ANTEROTIS
AVCTVS. HELVI
NIMPHODOTI
MINISTRI. AVG
IVSSV
M. LVCRETI. MANLIANI. L. ALBIENI. STAI. D. V. I. D
L. EVMACHI. FVSCI. N. HERENNI. VERI. D. V
V. A. S. P. P.
CN. DOMITIO. CAMILLO. ARRVNTNO
COS

Biga haec Consularis in Lipsiana Taciti editione sic procedit: *Cn. Domitio*, *M. Furio Camillo*. Sed *Camillo Arruntii*, non *Furii* nomen vindicandum, quod pervidit ante Norisius, et ex Pompeiano titulo confirmationem accipit. Mendae occasio *Camilli* cognomen, *Furiae* genti inditum. Cassiodorius habet tantum: *Camillus Scribonianus*; ex quo discimus, *Arruntium* nostrum, non *naturalem*, sed *adoptivum* de Gente *Scribonia Arruntiae* insertum. Integra igitur nominum Consulis nostri series ita ordinanda: *M. Arruntius. Camillus. Scribonianus*. Arruntiae genti nomen ab *Arunte*, tempestatis Tiberianae viro celebratissimo, sapientissimoque, cui *Lucii* praenomen. Hic in Albucillae caussa *impietatis in Principem* accusatus ultro sibi venas per semet conscidit. Cn. Domitio, et M. Arruntio Consulibus, si Cassiodorio fides, *Dominus noster Jesus Christus passus est* VIII. *Kal. Apriles*, *et defectio Solis facta est*, *qualis ante*, *vel postmodum numquam fuit*. Sed Cassiodorio hac in re acriter occurrit Henricus a S. Clemente, factumque retro trahit ad triennium sub Geminorum Consulatu. Verum haec ad nos nihil pro re nostra.

Domitiorum nubes Consularis longe densissima. Qui *Cnei* tantum praenominantur, ab V. C. 421. ad usque 732, novem in Fastis occurrunt, quorum hic noster agmen claudit. De eo haec memoratu digna. De Ahenobarborum familia satus, Agrippinam, Germanici filiam, duxit uxorem, e qua Neronem suscepit. Domitium idcirco Tacitus (a) inter Tiberii progeneros priore loco recenset. Sexennio fere post a suo Consulatu, Macronis insidiis, delatus apud Tiberium cum Albucilla, L. Arruntio, et Vibio Marso, cum Albucilla irrito ictu sibi mortem intentasset, ipse defensionem meditans, an simulans, vitam produxit, Tiberii morte mox subsecuta. Agrippina demum, viro defuncto, Claudio Imperatori, avunculo suo, nupsit.

Cippum cum Statua Tiberio positum coniecimus, detecta coniuratione Seiani, ipsoque Seiano cum suis oppresso. Coniecturae favent mirifice temporum initae rationes. Seiani namque casum reiicit Baronius ad an. Aerae Cristianae unum supra triginta, eumdemque Imperii Tiberii septimum ultra decimum, quo anno de Consulatu decesserat Tiberius cum Seiano ad

---

(a) Annal. Lib. VI.

diem X. Mai. *Suffecti* his 1. Faustus Cornelius Sulla cum Sextidio Catullino. 2. Fulcinius Trio cum Memmio Regulo, qui reliquum anni illius fere totum implerunt. At Consules tituli Pompeiani prodeunt Tiberii anno decimo octavo, Aerae Dionysianae secundo supra tricesimum, adeoque paucis vix mensibus a nece Seiani abeunt. Probabile igitur fit, in tantae rei memoriam Pompeianos, sub his Consulibus, statuam cum basi posuisse Tiberio, quo aut gratiam ab illo inirent, aut invidiam a se depellerent. Idque ex eo fit veri similius, quod cum Pompeianae siglae ad unum omnes tabulis marmoreis sint insculaptae, unicus hic cippus sit, cui caedem inhaereant. Neque porro segnia Pompeianorum studia in Tiberii assentationem reputanda, quibus latere non poterat, quod Dio testatum reliquit (a): *damnati ob Seianum omnes insepulti in Tiberim trahebantur, iussu Tiberii, qui et diem necis eiusdem festum a Pontificibus celebrari voluit.*

De Siglis D. V. V. A. S. P. P. fuse actum in Commentario antecedente, quibus pauca hoc loco adtexere, visum. Improbatum nonnullis

(a) Lib. LVIII.

laborem omnem nostrum, probe novimus: sed hi consultius multo egissent, si antequam improbarent, certum ipsi aliquod, aut vero propinquius, statuissent. Verum posterius hoc penitus neglexerunt: prius illud plusquam abunde praestitere. Sibi igitur ipsi imputent, si hominum haud veritatem, sed hominem veri studiosum insectantium, specimen praebuerint: Nihil interea succurrit, ut abs dictis alibi, disputatisque hac de re, divortium faciamus. Tantum addimus, reddi eas etiam sic posse: ĪI *viri votis, ac sacris publice procurandis*; vel *ad salutem publicam procurandis*. Quae posterior interpretatio, verbo nonnihil, re, vix, aut ne vix quidem, ab allata in Commentario superiore differt. Ecquis enim nescit, *salutem publicam in Augustorum salute* positam, qua tempestate praesertim *Augustum litus omne sonabat?* Nunc ad Gentem *Melissaeam*, retorto itinere, gradum faciamus. Et de *Fausta* satis. Frequentior aliquanto in Pompeianis *Apra* occurrit. Praeter enim recitata superius de ea elogia, ecce tibi aliud:

2.

CN. MELISSAEVS
APER

Ad quem Melissaeum respicere putamus, quod sequitur :

3.

MELISSAEA. SP. F
ASIATICE. VIX
ANNIS. XVII

Nec alia fortasse censenda Melissaea haec ab ea, quae sequitur, quaeque per cognominis decurtationem legitur *Asia* :

4.

MELISSAEA
CN. L. ASIA

Sed ad quos referenda sit Melissaeos *Melissaea Amyce*, quis praestare audeat ?

5.

MELISSAEAE
AMYCES
IVNONI

Hanc, in Junonis suae gratiam, *ingenuam* optamus, non praestamus.

Quod tandem felix, faustumque siet, en Marmor aliud Pompeis recens effossum, quod iis omnibus fere, quae in Commentario superiore sunt disputata, calculum addit, eaque contra impetus omnes in tuto ponit. Pertinet illud sine cunctatione ad annum V. C. 754; Aeraeque Dionysianae primum; quo nempe Consules processere C. Julius Caesar, Augusti ex adoptione filius, et L. Paullus Aemilius, qui in eo cientur. Est autem huiusmodi:

6.

L. CAECILIVS. FELIX
Q. LOLLIVS. FELIX
Q. ARRIVS. HIERONI
MINIST. AVGVST
EX. D. D. IVSSV
M. POMPONI. MARCELLI
VALERI. FLACCI
D. V. I. D
A. PERENNI. MERVLINI
L. OBELLI. LVCRETIANI
D. V. V. A. S. P. P
C. CAESARE. L. PAVLLO
COS

Gens *Perenna* occurrit in Grutero (1). Sed rectius ea fortasse in *Perenniam* ex titulo Pompeiano recudenda. Occurrit item apud eumdem gens *Obellia* (2). M. Pomponius Marcellus, et L. Valerius Flaccus IIviri I. D. Pompeis prodeunt iterum in titulo allato ad pag. 18. Commentarii *in Sacra Pompeiorum*, qui sane titulus ad annum insequentem 755 respicit, ut perspicuum est ex Consulatu P. Alfeni cum P. Vinicio. Cur igitur alteri huic nostrorum Duumviratui omissa particula *iterum*? Id fortasse ex eo factum, quod tituli tempore novi IIviri Pompeis aliqua de caussa nondum processerant, Duumviratusque nostrorum protractus tantisper, non confirmatus fuerat. Ad rem nostram, quae faciunt mirifice, haec omnia sunt.

1. *Ministri Augusti* tres, iidemque trinomii omnes.

2. Duumviri V. A. S. P. P. anni 755 alii omnino sunt a IIviris V. A. S. P. P. anni proxime antecedentis 754, et a IIviris V. A.S.P.P.

---

(1) Pag. 953. n. 11.

(2) Pag. 948. n. 6.

anni 752, nempe A. Caesetio Postumio, et N. Tintirio Rufo, quos vide ad pag. 6. Commentarii superioris. Quatuor igitur annorum uno intervallo triplex Biga IIviralis huiusmodi in medium prodit, alia ab altera perpetuo discrepans. Duumviri idcirco hujusmodi *Quinquennales* esse nulla ratione possunt, *annuosque* se luce meridiana clarius produnt. Atque ad horum amussim expendi volumus, si quae in superiore Commentario his parum consentanea videantur: praecipue vero delenda praecipimus, quae ad pag. 48. sub numero 9. continentur.

Licuit tandem in Fabrettino marmore initiales T. S. deprehendere, quas in Pompeiorum fragmentis quibusdam semel atque iterum Ministrorum quorumpiam nominibus suffixas offendimus. Piget nihilominus de iis sollicitum minime se praebuisse virum antiquitatis consultissimum. In titulo, Fullonum Magistri Quinquennales *donum* Minervae, Artium scilicet Deae, dant. Curatorum quartus, conditione servus, singulariarum nostrarum adpendice discretus, sic cietur:

MINERVAE. DO
FVLLONES
MAGISTRI. QVINQEII
CVRAVERE
L. EVVLI. C. L. STATIVS
P. OPPI. L. L. PILLONICVS
L. MAGNI. L. L. ALAVCVS
PAMPILVS. TVRPILI. T. S.

Quo *nominandi* casus Magistrorum ternario constet, mente ad ipsorum nomina transferendum VS vocis postremae *Pampilus*, quod plane singulare. Ad initialium ipsarum vim quod pertinet, quae de iis in superiore Commentario divinando produximus, ea utinam doctorum sustineant aures!

Sed rogabit quis fortasse, non enim desunt orbis literati Momi: *eccui bono* haec tanto labore, studioque conquisita? cui paucis. Nulli, si de pecuniae, censusve accessione aliqua sermo sit. Nec enim literarum professionem mercaturam aliquando duximus. At veterum monumenta recte intelligere, magni fecere semper veri nominis sapientes. Veros autem sapientes dicimus, non qui librorum edocti titulos, in ipsorum corradendis indicibus toti sunt, in obviis, doctorumque vulgo notis, doctissimi,

vulgarique eruditione necantes ; in paullo abstrusioribus, novitatem praecipue aliquam prae se ferentibus, superciliosi, et veluti a Bonae Deae sacris caventes, spuriis, fictitiis proni adiudicare: sed qui antiquorum exemplaribus insudare diu noctuque adsueti, verum a falso, dubium a certo seiungere, lucem obscuris inferre, novum denique aliquid, atque utile ipsi per se meditatione assidua exculpere norunt. Religionem modo excipias, humanitatemque, verae Religionis asseclam, frigent profecto nostra fere omnia, si cum antiquis conferantur. Parte ex alia, ecquid demum rerum nostrarum, sive domesticae eae sint, sive publicae, profanae, aut sacrae, ad posteritatis notitiam venturum putabimus *ἐν τάις τῶν κάιρων καταςροφαις*? Antiquorum contra paene universa, ac singula, et gravitatis plena sunt, et coram omnibus prae oculis posita, Aerum, Lapidum, caeterorumque his similium, beneficio, quae sine dubio ad perennitatis laudem, quantum res humanae patiuntur, aliquanto firmiora sunt aestimanda, quam *typi* nostri, chartaeve periturae. Quandoquidem et cum his quoque fulcimentis olim

Mortalia facta peribunt.